III. *Singularia quædam in Cadavere calculoſo diſſecto reperta, ab* Abrahamo Vater, *M. D. Pr. Anat.* Wittemb. R.S.S.

JUvenis ſtudioſus per duos annos Dyſuria frequenti laborans, per illud tempus ultra quinquaginta calculos excrevit, quorum plerique ſine inſigni dolore inter mingendum ſeceſſerunt; quidam tamen eorum reliquis majores, piſorum majorum vel phaſeolorum magnitudinem habentes, in urethra ſubſtiterunt, ac manu chirurgi comminuti aut ſectione extracti fuerunt. Incidit hic ſenſim in Maraſmum totius corporis, ac urgente tuſſi ſicca & Aſthmate, accedente inſuper tumore pedum œdematoſo, tandem pridie ante mortem, lecto affixus, animam Creatori reddidit. Ad ſectionem corporis defuncti accedentes, aperto Thorace, pulmonem cum pericardio, diaphragmate & coſtis, hinc inde concretum, ac in dextro præprimis latere ſcirrhoſum invenimus, in utroque prætereà ventriculo cordis, Polypos inſignes, qui truncos vaſorum occupaverant & proculdubiò Aſthmatis atque inſequentis ſuffocationis, mortiſque ſubitaneæ præcipua cauſa fuerunt.

In abdomine hepar & lien nullo manifeſto vitio laborabant; inteſtinum autem ileon ſugillatum erat, & colon in toto ſuo ambitu, à dextro inde latere, ubi hepati accumbit, una cum recto, ita conſtrictum & contractum apparebat, ut vix digiti craſſitiem æquaret, nullamque ferè cavitatem interiùs monſtraret.

Tandem vias urinarias, utpote officinam tot calculorum viſitantes, in renibus atque ureteribus nihil præternaturalis invenimus, in veſica verò tres calculos, pha-

The Royal Society is collaborating with JSTOR to digitize, preserve, and extend access to *Philosophical Transactions (1683-1775).* www.jstor.org

phaſeolorum magnitudinem habentes, eos tamen non liberos, ſed membrana valida involutos, ac lateri anteriori prope ſphincterem adhærentes deprehendimus, quos in rei memoriam una cum eorum involucro aſſervo. Unde hæc membrana calculos involvens originem trahat, explicatu difficillimum mihi videtur; quamobrem hac data occaſione, flatu per ureterem utrumque immiſſo, inquiſivi, an illa (*viz* membrana) cum ureteribus communicet; & utrum ſit ipſa membrana Veſicæ interior, à calculis in ureteribus, inter ſubſtantiam Veſicæ incedentibus, una cum uretere, vel hoc rupto, extenſa: nihil tamen detegere potui. Hos tamen calculos Dyſuriæ non tantùm continuæ, ſed etiam propter irritationem perpetuam, conſtrictionis præternaturalis inteſtini coli atque recti extitiſſe, rationi conveniens videtur.